

SOCRATIS  
ΑΠΟΜΝΗΜΟΝΕΥΜΑΤΑ

PVERIS NON TEMERE COMMENDANDA

EXPLICATIONE LOCI

E

XENOPH. MEMOR. LIB. IV. C. II. A. §. XI.

DOCET

---

AD

ORATIONEM LATINAM

IN SCHOLA THOMANA



FRIDIE KAL. IAN. A. C. MDCCC.

HORA V. VESPERT.

A V D I E N D A M

INVITAT

FRIDER. GVILIELM. EHRENER. ROSTIVS

---


LIPSIAE

IMPRESSIT IO. PET. BURMESTER

1800.

LEIP  
11 (1800)

dlb



---

**D**eferbuit tandem bellum istud internecinum, medio fere se-  
culo, a liberalioris educationis auctoribus, contra grammati-  
cos tanto feruore gestum, vt de alterius vtrius partis salute et  
dignitate plane actum videretur. Temeritate enim atque cu-  
piditate, vt fit, a ratione superata, intellectum est ab vtraque  
parte, in medio verum consistere, nec magis licere scholarum  
magistris sine subtilioris eruditionis periculo, scriptores graecos  
atque latinos e scholis proscribere, quam cum perfectae ingenio-  
rum conformationis spe, pueros antiquorum librorum lectione  
vnicè detinere. Composita igitur omnis controuersia ita est, vt  
grammatici paedagogorum, sic enim vocantur, gratia, aliarum  
quoque doctrinarum vsum in scholas admitterent: hi vero illis  
auctorum veterum tractationem, sed cum delectu, concederent.  
Laudabilis fane compositio, scholisque maxime salutaris, et  
vnicuique non probanda, penes quem earum rerum rectum et  
limatum iudicium est! Hinc enim ille mos inualuit, auctores  
veteres, vel edendi ab iis rebus purgatos, in quibus puerorum  
adolescencia offenderet, vel omittendi ea in interpretando, vbi  
talium librorum nulla esset copia. Modo vt in istam curam  
intentiori cogitatione scholarum emendatores incubuissent, il-

lamque viam eo essent persecuti, donec in auctoribus veteribus, pueris tradendis, nihil reliqui fecissent, quod in istam aetatem nondum caderet. Non multum vero promotum est. Exceptis enim et iis, quae a verecundo homine vix legi possunt, et iis, quae mediocritatem puerilis ingenii omnino excedunt, nihil fere videbis, vel in edendis, vel interpretandis illis libris vulgo praeteriri. Quod si quis religioni grammaticorum tribuerit, equidem adeo nolo erga optimos auctores veteres ingratus videri, ut, cui vita et ingenii vis suppetierit, ei omnium illorum librorum cum puluisculo excutiendorum suafor extiterim. Quis vero aequus rerum aestimator inuestes pueros cum barbatis philosophis in eandem vocabit conditionem, nec lubens fatebitur, libros graecos atque latinos adeo non scriptos esse pueris, ut hi, dum illa curent, in alienam possessionem temere irruisse videantur? Neque tamen propterea pueros ab erudita antiquitate plane arcendos censeo; vnde enim istarum lautitiarum fiant appetentes, nisi ex veterum scriptorum floribus dulcia mella passim delibando, earum tanquam promulfidem aliquam ceperint? Id vnum pugnamus, ut auctores vtriusque linguae veteres nouam atque seueriorem censuram subeant, utque a peritis scholarum magistris tandem decernatur, quinam potissimum libri, quaeque eorum partes, quo ordine, cuius aetatis pueris et adolescentibus explicandi sint; quarum rerum quamdiu nulla, aut non satis diligens, fuerit ratio habita, tamdiu nos eundem lapidem frustra mouebimus, neque vacabimus plane

exprobrare satagunt. Tunc igitur nullum plane scriptorem integrum a pueris legendum esse censes? censeo; nisi qui eo per omnia argumento est, quo nec mores iuuentutis corrumpuntur, nec veri iudicium deprauatur, nec pulcri sensus peruertitur: qui porro eiusmodi res tractat, quas et scire puerorum interest, et sine magno anfractu explicare licet. Nam ubi contraria ratio valet, ibi multo cum laborum, tum temporis dispendio, non solum nihil efficitur, sed, ne mentiar, multum nocetur. Sed dici vix potest, quantopere ea in re, ceteroquin sagacissimi, verborum et rerum interpretes coecutiant. Ut enim omnia alia praeteream, nescio an nulla schola nominari possit, ubi Xenophontis de dictis et factis Socratis commentarii pueris non explicentur, iisque ita commendentur, ut horum librorum exemplaria diurna nocturnaue manu versanda esse existiment. Tantam famam, tantam celebritatem nacta sunt! Neque hoc, ut videtur, iniuria. Quis enim non admiretur philosophum ab ipso Apolline sapientissimum iudicatum? quis sapientiam, per eum de coelo deuocatam, teneris puerorum animis instillari mature non optet? quis praeceptorum verae honestatis thesauros, a Xenophonte diligentissime congestos, et sancte custoditos, ei aetati aperiri vetuerit, quae in vitium pariter ac virtutem flecti cerea est? Nemo, opinor, qui verae virtutis amator esse et haberi velit. At enimvero nihilo fecius tamen videor contendere debere, Xenophontis illos libros non ita esse comparatos, qui integri a pueris, non dicam vtiliter, sed ne secure quidem legi possint.

Ac illud quidem omni caret dubio, intercipientia pueris ea loca esse, quibus honestissimi cuiusque, quamuis adulti, oculi aegre diu inhaerere possunt, quaeque de re venerea, de modo proereandorum liberorum et similibus agunt, ut sunt: lib. I. 2, 30. 3, 8. II. 1, 5. 2, 4. 5. IV. 2, 35. 4, 20 — 23. Nam recte quidem Gellius: Adolescentium, inquit, indolem non tam iuuant, quae bene dicta sunt, quam inficiunt, quae pessime: multoque tanto magis, si et plura, quae deteriora sunt, et quaedam in his in re ancipite pro consilio dicuntur. Quo quidem nomine Socratis illud colloquium cum Theodota lib. III. c. II. damnauerim. Tum ea praetereunda sunt capita, quibus tractantur res, a puerilibus annis, studiis et intellectu longo intervallo remotae, atque adeo idoneae ad excitandum taedium scriptoris potius, quam amorem; quo totum fere librum tertium excepto capite XIII. et XIV. refero. Sed et in reliquis multa sunt, quae a scholarum magistro caueri debent, qui teneriores suos discipulos Socraticae disciplinae admiratione imbuere velit.

Nam primo, quod ad ipsam orationis formam attinet, est quidem dialogorum sua et propria virtus ea, quod sermonis familiaris consuetudine, colloquentium vicibus, et tenuium quaestionum specie, alacrem puerorum animum eadem voluptate, qua Aesopiae fabulae afficiant, excitent atque teneant; sed habet ea differendi ratio, ubi ad res a vulgari scientia remotiores disputatio progreditur, cum alias, tum maxime hanc difficultatem, ut, a quo puerorum leuitas et ingenium valde abhorret, maiori animaduersione, longiori expectatione, et ampliori

pliori perspicacia, quam in perpetua oratione, ad dignoscendam rei propositae veritatem, opus sit. Legendum igitur a pueris esse maxime arbitror totum librum primum, in quo Xenophon, si tertium et quartum caput exceperis, adhibet genus scribendi *αὐτοπρόσωπον*: tum allegoriam illam de Hercule in biuio: deinde, si placuerit, addendi sunt faciliores dialogi, hoc est tales, qui de negotio vitae communis, aut officio vel pueris praestando, et ita tractant, ut res ad liquidum pariter atque exitum perducat; cuius generis puto esse II, 3. III, 12 et 13. et alia capita. Eiusmodi autem dialogos, qui sunt impeditiores et argumenti philosophici, ob eam ipsam causam, quam statim commemoravi, robustiori aetati seruandos esse existimo.

Accedit vero alia causa. Quanquam enim Socrates antiquos philosophos eo longe antecelleret, quod a rebus, quae procul ab humana cognitione essent, aut tamen ad beate viuendum nihil conferrent, orationem ad virtutis laudem et commendationem maxime traduceret; effecit tamen ignorantiae simulatione, quam *εἰρωνείαν* vocant, ut pueris commendari nequeat. Licet enim equidem minime is sim, qui verear, ne pueri a Socrate scommatum et dieteriorum libidinem trahant, neque propterea cum Epicuro et aliis sentiam, qui ironiam istam omnino reprehenderunt, aptissimam, mea quidem opinione, cum ad arrogantiam superbiorum adolescentium, Alcibiadi, Euthydemo, Critiae similia, minuendam, tum ad derogandum auctoritati insolentissimorum hominum, quales Sophistae fuerunt;

can-

eandem tamen praecipendi rationem ideo probare non possum, quoniam eius culpa factum est, ut de plerisque rebus, quae in disceptationem venerunt, cuiusmodi sunt quaestiones in Platonis Menone et Protagora ad disputandum propositae, pariter ac ea, quae Memorabilium libro quarto differuntur, nos Socratis vera et aperta sententia destituti, falsis saepe ac dubiis hominum, neutiquam sapientium, opinionibus acquiescere debeamus; quas, cum vitari nequeat, ut pueri pro aurea Socratis sapientia habeant, saepissime accidit, ut nubem pro Iunone amplectantur, mentemque eiusmodi rerum notionibus et definitionibus impleant, quibus longe utilius caruissent.

Tertio denique, quod omnium est grauissimum, videtur Socrates interdum ipse sopheriam agere, ac contentionis cupidior quam veritatis, minus, quid verum rectumque sit, curare, quam de eo esse sollicitus. quibus verborum ambagibus et ratio-  
 ciniorum fallaciis aduersarios capiat, eosque ita premit et per-  
 turbet (*διετάρραττεν* III. 2, 40.), ut sopherismatum laqueis irretiti, non nisi ignorantiae confessione sese expediant. Itaque faciebat quidem Socrates, *ὡς ἂν πεπεισμένοι μάλιστα πράττοιεν τὰ δέοντα*, sed non cauebat, *μή πη ὁ λόγος ἐπαλλαχθῆ*. (III. 8, 1.) Quid? quod consulto utebatur iis sopheristarum artificiiis, quibus τὸν λόγον ἥττονα docebant esse κρείττονα. Cuius rei exemplum, cum ab ipso Xenophonte lib. IV. c. 2. allatum sit, explicando eo docebimus, quam absouum, immo et periculosum videatur, ea loca pueris interpretari velle, in quibus discriminis veri atque falsi, iusti et iniusti, nulla plane ratio habeatur.

Nimi-



Nimirum Euthydemum, adolescentem sapientiae opinione inflatum et monitoribus asperum, ignorantiae conuicturus Socrates, posteaquam eo redegerat, ut virum, rempublicam, quam ipse capeffiturus erat, gerentem, bonum et iustum esse debere fateretur, quis *δίκαιος*, quis *ἀδίκος* habendus sit, interrogat. Iam illo mendacium, furtum, scelera et plagium ad *ἀδικίαν* referente, Socrates haec eadem nonnunquam esse *δίκαια* docet. Conueniunt igitur de eo, ut haec, si hostibus fiant, *δικαιοσύνην*, si amicis, *ἀδικίαν* appellent. Cum vero Socrates amicis quoque ista prodesse posse ostendisset, Euthydemus id concedere videtur, ut, si amicis fiant *ἐπι βλάβῃ*, vocentur *ἀδικία*, si *ἐπ' ὠφελείᾳ*, *δικαιοσύνη*. Denique postquam ab Euthydemo concessum erat: *ἀδικιώτερον εἶναι τὸν ἔκοντα ψευδόμενον τοῦ ἀκέντου*, Socrates per exemplum demonstrat, quemadmodum is sit *γραμματικώτερος*, qui de industria minus recte scribat aut loquatur, ita etiam eum esse *δικαιώτερον*, qui consulto mentiatur et decipiat, quam qui non.

En tibi egregium palaestrae Socraticae fructum, quo puerorum palatum titillare ita possis, ut illi prae auiditate dentes in duro frangant. Nam, nisi me omnia fallunt, aut meram vocabulorum et phrasium farraginem pueri inde capient, aut discent: nihil esse per se rectum: honestatem facti pendere ab utilitate: inimicos odisse licere, et alia, quibus nihil ad veram virtutem perniciosius, nihil ad iudicium de honesto et turpi confundendum aptius cogitari potest. Id ipsum vero est. in-

B

quies,

quies, in quo boni praeceptoris officium atque dexteritas cernitur, ut explicet atque excutiat discipulorum intelligentiam, videatque, quatenus sit in ea notio et forma veri et falsi, honesti atque utilis, turpis et inutilis; eamque tamdiu interrogando et corrigendo et limitando ab omnibus partibus illustret, donec clara et perfecta in puerorum animis extiterit. Quod quamquam est verissimum, nihil tamen fieri potest obtusius, quam tanti laboris negotium ad graecas scholas ablegare, et id temporis, quod linguae studio impendendum erat, in eruendis et definiendis notionibus philosophicis maxime consumere.

Philosophiae enim, eiusque non tralaticiae, opus est, commemoratum supra Xenophontis locum ita explicare, ut omnes tenebrarum, quibus Euthydemus in errorem ductus est, nebulae discutiantur et evanescant. Iam quod Socrates, ad δικαιοσύνης notionem inveniendam, ea via ingreditur, ut Euthydemum iubeat varia iniuste facta enumerare, in eo recte versari censendus est. Haec enim est verissima definiendorum vocabulorum ratio, ut, pluribus eiusdem rei exemplis coaceruatis, id quod singulis commune est, pro vera vocabuli notione habeatur. Quando itaque Socrates interrogasset Euthydemum de causa, quare furtum, mendacium et reliqua, ἀδίκως loco poneret, haud dubie comperisset, hoc illum ideo facere, quia his flagitiis alios laedi videret. Tum vero in promptu erat, id esse iniuste factum, quo quis laeditur, contrariam vero virtutem, qua suum cuique tribuitur, δικαιοσύνην. Id maxime ab Euthydemo vrgendum erat,

II

erat, neque concedendum Socrati, ut, hoc neglecto, ad alias  
quaestiones procederet. Sed hoc omisso, *πρώτον ψεύδος* com-  
missum est. Mox enim, quae sophisticae dialectices arx erat,  
ostendit Socrates *τοῦτο δίκαιον ἐνίοτε εἶναι* (ut. III. 8, 2.), cogitque  
adversarium fateri, ducem bellicum, qui hostes decipiat, spo-  
liet, captivos abducit, *δίκαια ποιεῖν*. Quia vero Euthydemus  
concedere non vult, idem esse iustum et iniustum, non aliter  
se extricare potest, quam ita distinguendo: quod illa erga hostem  
iusta, erga amicum iniusta sint. Sed vide quam hic omnia per-  
turbentur! Nam primo, id nequaquam ferri potest, iustitiae  
naturam ab iis, in quos exercetur, mutari; quippe quae, ut  
omnes aliae virtutes, non a rebus extra nos positis, sed a ra-  
tione ipsa pendet, quae quod per se iudicat, et decernit, id om-  
ni loco atque tempore idem esse debere intelligit; a qua per-  
suasione Socratem abfuisse ideo mirari non debemus, quia ille  
notiones rerum, ut constat, non ad primas causas et quasi fun-  
damenta persequabatur, atque minus, quid quodque esset καὶ  
*ἑαυτοῦ*, quam *πρὸς τὸν χρώμενον* quaerebat; qua quidem via nun-  
quam ad certam rerum cognitionem pervenitur. Deinde ne-  
minem vel mediocriter attendentem fugiet, non posse hoc loco  
*δίκαιον* eadem plane significatione dici, qua antea. Nam si iu-  
stitia vetat alios laedere, imperatori aut nunquam licet inimicos  
violare, aut ideo tantum licet, quia ei hoc a ciuitate mandatum  
est. Quaecunque autem ex obedientia erga ciuitatis leges fiunt,  
non sunt *δίκαια* sed *νόμιμα*; unde per se patet, imperatorem dici  
hic *ποιεῖν τὰ δίκαια*, eo sensu, quo facit *τὰ οἰκεία*, τὰ ἑαυτοῦ.

Quam significationem si Socrates hoc loco vocabulo isti alligavit, usus est sermonis ambiguitate, quam in disputando vitare dialecticorum primae regulae praecipunt; sin vero, non cauilandi gratia, sed ex animi sententia ita statuit, versatus in errore est, quem nostra aetas dudum deposuit, illorum vero temporum non modo imperita multitudo, sed et philosophi tenebant. Quo communi antiquorum hominum errore, si quis vel summum philosophum non exsoluere, sed excusare voluerit, videat, ne aut duplicem personam Socrati imponat, cum ea, quae hic loci, et II. 3, 14 et 6, 35. dicuntur, a Platone in Critone pag. 113. et de Republica I. p. 161. ed. Bip. grauissimis argumentis diluantur, aut discipulum magistro suo, ob ingenii acrimoniam longe praeponat.

Sed ad alia transeamus. Nempe concesso ab Euthydemō, *πρὸς μὲν τοὺς πολεμικοὺς δίκαιον εἶναι τὰ τοιαῦτα ποιεῖν, πρὸς δὲ τοὺς φιλοῦς ἀδίκον*, accingitur Socrates ad quaestionem eam: an non ista interdum etiam amicis facere iustum sit? Tria scilicet exempla proponit, quibus rem illustrare conatur. Interrogat enim: si quis imperator exercitum despondere animum cernens, mentione focios appropinquare dixerit, et ita milites a desperatione auocauerit, quorsum ista fraus referenda sit? cui Euthydemus: ad iustitiam opinor.

At nonne ista quaestio ex media philosophia depromta et ita impedita est, vt hodiernum inter philosophos de diiudicatione

tione certetur? Mentiri enim alii omnino non licere dicunt; ubi enim inciderit, ut officii delectus faciendus sit, ibi oportere honestum utili et perfectum officium imperfecto praeferrere, eiusque quod interdicitur potiore, quam quod iustum est, rationem haberi. Cum vero non mentiri perfectum, alterius autem vitam tueri imperfectum officium sit, effici, ut alterius vitam cum veritatis iactura ne conseruetur. Sed alii licere quidem mentiri statuunt, sed non aliter, quam ubi necessitati vendanda sit; eamque rem ita diiudicant, ut vitam alterius tueri magis sit necesse, quam verum dicere. Sublata enim vita alicuius tolli etiam facultatem id, quod aliis verum videatur, cognoscendi; ab huius autem breui ignorantia vitam minime pendere; licere itaque imperatori istam fraudem committere. Iam, vtra ratio cum virtute arctius cohaereat, in medio relinquamus, contenti eo, quod sic appareat, quam parum tam subtilis deliberatio aetati puerili conveniat; quae tamen instituenda est, nisi volueris, ut pueri vna cum Euthydemo in errorem inducantur, factique honestatem ab utilitate deriuare discant.

Alterum exemplum de filio, cui quis medicinam cibis involutam porrigit, sub eadem cum priori cadit rationem, praeterquam quod in illo de fraude verbo facta, hic de mendacio, quod in re ipsa inest, dicatur. Sed tertium exemplum, quo gladius interfecturo se, ut Catoni a filio, furripitur, nullo modo potest in classem furtorum aut rapinarum referri, si quidem eadem rapina est, quando reddendi voluntas abfuerit.

Age

Age vero ad id veniamus, quod maximum sophisticæ cal-  
 liditatis specimen Socrates in hoc loco exhibuit. Decreto  
 enim hoc, licere amicos utilitatis illorum gratia fallere, nocendi  
 vero causa non, proponit hanc quaestionem: utrum is iniustior  
 habendus sit, qui sponte fallat, an qui id imprudens faciat? Ad  
 quod cum recte respondisset Euthydemus, ut eum tamen in er-  
 rorem ducat, vaferrimam illam interrogationem struit: utrum  
 eum, qui de industria, an qui invito male scribat aut legat, γραμ-  
 ματικώτερον iudicet? Nam postquam primum Euthydemus pu-  
 tauerat, Socrates eum fateri cogit, ut eodem modo is, qui  
 sciens alteri iniuriam faciat, δικαιώτερος habeatur. Id quod Eu-  
 thydemus, infidias quasi per transfennam videns, non diserte  
 quidem concedit, sed, quo se vertat nescius, dubitat tamen an  
 non ita statuendum sit.

At quis rerum intelligens non viderit, hanc argumentatio-  
 nem per exemplum laborare eo vitio, quod, quem dialectici  
 medium terminum appellant, non sit vnus idemque? γραμματι-  
 κός enim est is, qui habet peritiam litterarum, quanquam ea  
 non utatur (ut III. 1, 4.); sed δίκαιος vocari nequit, nisi qui  
 scientiam recti et iusti vita ostendit, cum virtus in agendo con-  
 sistat.

Videmur itaque, per ea, quae a nobis breuiter decursa sunt,  
 fatis superque demonstrasse, Socraticas disputationes a Xeno-  
 phonte memoriae proditas, ita interdum acute inuentas, ita  
 sub-

subtiliter dictas esse, vt pueris, qui ne primis quidem labris gularunt philosophiam, nisi omnia mansa in os illinere volueris, minime sine delectu explicanda esse videantur. Quod vt citra omnem inuidiam a nobis dictum appareat, lubenter confitemur, nos ipsos Xenophontem discipulis, sed adolescentibus, hactenus explicasse; a quibus nihil, nec ad ingenii exercitationem, nec ad animi conformationem, vttilius illis libris tractari posse intelligimus.

Iam hoc, quod restat, huius libelli spatium, in magno nobis et necessario officio ponendum est. Rediit nimirum dies ille faustissimus, quo schola nostra, et maxima et innumera beneficia, per integrum annum in se collata, Deo Optimo Maximo publice gratulari solet. Quae consuetudo antiquitus iam suscepta, ac diu propagata, ita parum grati erga summum euergetam animi sensum hebetavit, vt in dies nouam et maiorem semper laetandi pariter ac gratulandi materiam inueniamus, et, vt apud Xenophontem est, id vnice doleamus, *ὅτι ἡμῖν δοκεῖ τὰς τοῦ θεοῦ εὐεργεσίας οὐδ' ἂν εἰς ποτε ἀνθρώπων ἀξίαις χάριτιν ἀμείβεσθαι.* Et si enim praeterlapso anno ea nobis est illata calamitas, quam omnes, quibus aliqua statuendi potestas est, vno ore atrocissimam iudicabant, cum IOANNES FRIDERICVS FISCHERVS, vir magnus in primis, et vltra angustos patriae fines clarus, e vivis excederet; qui, quod in vno humanitatis studio quasi tabernaculum vitae suae collocauerat, itaque graece et latine callebat, nullam vt nosse aliam linguam videretur, quanquam se-

nex

nex mortuus est, tamen, et scholae et academiae causa, mori omnino non debebat; nihilominus tamen et hunc acerbissimum dolorem deponimus in cogitatione diuinæ prouidentiae, priuato nostro et publico commodo in eo beneuole prospicientis, quod tantum, non linguae solum, sed et animi atque virtutis magistrum, nostrae potissimum aetati concederet, faceretque, ut nostram fortunam hoc nomine non tam conqueri, quam solemni gratiarum actione praedicare debeamus. Ut itaque hanc solemnitatem, quanto fieri potest maximo, splendore celebremus, omnes et litterariae et ciuilis reipublicae magistratus amplissimos ac ciues honestissimos, qua par est, summa humanitate rogatos volumus, ut in scholam nostram congregari, atque SAMVELI AVGVSTO EICHELIO, Delitiensi, adolescenti optimo et linguarum, inprimis hebraicae, nauiter studioso, de vicissitudine rerum humanarum sapientiae ac pietatis magistra, verba, ab ipso composita, facturo, audiendi operam dare, non dedignentur; eamque occasionem suam putare velint, qua Deo immortali pro incolumitate patriae, vrbis, et singulorum ciuium, et meritis gratias et pia vota offerant.

---



nex mortuus e  
 nino non deb  
 dolorem depor  
 nostro et publ  
 tantum, non  
 strum, nostra  
 nostram fortu  
 lemni gratiaru  
 solemnitate  
 mus, omnes  
 pliffimos ac c  
 rogatos volu  
 SAMVELI A  
 optimo et lin  
 ciffitudine re  
 verba, ab ip  
 dedignentur  
 immortalis p  
 vium, et m



causa, mori om-  
 acerbissimum  
 entiae, priuato  
 ncientis, quod  
 e virtutis magi-  
 faceretque, vt  
 eri, quam fo-  
 Vt itaque hanc  
 endore celebre  
 magistratus am-  
 ma humanitate  
 gregari, atque  
 si, adolescenti  
 studiofo, de vi-  
 etatis magistra,  
 eram dare, non  
 velint, qua Deo  
 fingulorum ci-